

31
Q. F. F. Q. S.
COGITATIONES NONNULLÆ
CIRCA

QUÆSTIONEM:

UTRUM CONSERVA-
TIO SIT CONTINUA-
TA CREATIO,

VEL NON?

APHORISMIS COMPREHENSÆ,

QUAS

Consent. Ampliff. Facult. Philos. in Reg. Academ. Aboënsi,

PRÆSIDE

VIRO *Maxime Reverendo atque Celeberrimo*

D: NO DOCT. CAROLO
MESTERTON,

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ord.

Pro GRADU

Publico Examine submittit,

STIPENDIARIUS REGIUS,


JOHANNES STRÖM

BOREA-FINLANDUS.

Ad diem X. Julii MDCCLX.

In Auditorio Majori, horis ante Meridiem solitis.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL,



APHORISMUS I.



Uemadmodum limites intellectus nostri haud obscure innotescunt, dum in veritatibus rerum naturalium investigandis versamur; ita artis admodum cancellis eandem animæ nostræ facultatem circumscriptam esse, quæ res Divinas, actiones puta & opera Summi Numinis, operose imprimis in illa inquirendo, scrutatur, ultro certe fateri non recusat. Perspicuum hujus testimonium velut perhibent diversæ multum a se invicem sententiæ, in quas circa idem dogma, & unam eandemque rem, in Sanctiori occurrentem disciplina abiverunt eruditi. Ut alia non attingamus, doctrinam de Conservatione haud paucis obnoxiam esse dissentientium objectionibus, Scripta horum varia plus satis commonstrant.

APHOR. II.

Non desunt, qui Conservationem (quam per *actum Dei*, quo rebus creatis datur, ut in existendo perseverent, definimus), prorsus negant, convenientius Deo esse existiman-

stimantes, talem produxisse mundum, qui vi sibi intrinseca, in creatione semel concessa, conservaretur & perduraret. Ab his non alienus est EPISCOPIUS, qui perinde putat, utrum credatur Deum positivo influxu conservare creaturas, an negativo solum, quatenus non destruit semel conditas. Non id minus gloriosum esse Deo, neque majorem creaturae perfectionem tribui, si dicas postremum. Quantum imperfectionis creaturae per indigentiam continui influxus tribuatur, tantum perfectionis adscribi creationi Divinae per negationem illius necessitatis continui influxus, sentire hic unumquemque posse prout velit. Vide BULFING. Dilucid pag. 568. Quam EPISCOPII sententiam POIRETUM etiam amplexum fuisse, colligi potest ex ejusdem Cogg. ratt. L. III. c. 10. Tela vero ex hujuscemodi principiis contra conservationem deprompta, eo hebetiora sunt censenda, quo firmioribus illa debellari possunt argumentis. Quolibet namque creatura est, & quolibet suae existentiae momento manet ens contingens; sed omne contingens rationem suae existentiae habet non in seipso, sed ente alio; unde nec ullam creaturam ex vi sibi intrinseca in existendo perseverare posse satis intelligitur.

APHOR. III.

Alii vero ipsam Conservationem concedunt, sed in diversas abripiuntur partes, quando quaeritur: *Utrum conservatio sit continuata creatio nec ne?* ad quam quaestionem vel explicite vel saltem implicite in scriptis suis affirmare alios, alios vero negare videmus. Inter illos, qui pro affirmativa pugnant sententia, referendi sunt AUGUSTINUS, NEMESIUS, ANASTASIUS; quibus ad stipulari videtur LACTANTIUS, qui in *Instit. L. III. C. XXVII. Natura*, inquit, *remota providentia & potestate Divina prorsus nihil est.* Deinde in sententia hac tuenda insignis est THO-

MAS ab AQUINO, quem secuti sunt Scholastici, & postmodum Philosophi nec non Theologi recentiores, fere omnes. Qui pro negativa stant parte, eorum agmen ducit Celeb. JOH. FRANCISCUS BUDEUS, sequentem in modum scribens: *De conservatione non una virorum doctorum est sententia. Sunt, qui eam prorsus negant, - - - - Alii ad alterum quodammodo extremum procurentes, conservationem creationis quandam continuationem vocant. Qui, si vo- sem creationis proprie capiunt, magnis difficultatibus se exponunt, ex quibus non temere se expedient. In Instit. Theol. Dogmat. L. II. C. II. §. 47. p. 410.*

APHOR. IV.

Differunt a se invicem conservatio & creatio. (Creatio- nem autem dicimus esse productionem ex nihilo, vel actum Dei, quo substantiis mere possibilibus confertur exist- entia;) Etenim in idea illius præsupponitur existentia, in bujus vero non item. Creatio, porro, est actio, quæ, si in conspectu mortalium fieret, uti miracula quævis, hominibus oculis intuentibus, antiquiori tempore a Deo edita esse pandectæ sacræ testantur, talem certe in organo sensorio, visus nempe, produceret mutationem, qualis in producti ex nihilo conservatione non contingit. Præterea crea- tio proprie & in omni casu oppositum est annihilationis; ex nihilo enim quid producere, & illud iterum in ni- hil redigere, sunt notiones e diametro, quod ajunt, sibimet oppositæ. Et quamquam conservatio annihila- tioni contradistingvi queat, eam quidem ob causam, quod illa cessante, creata omnia in pristinum suum relapsu- ra forent nihil; hoc tamen non fieri posset absque præsup- posita creatione conservationem antecedente. Actum vero
con-

conservationis quod concernit, datur omnino casus in quo penitus excludi potest a comparatione hujuscemodi cum annihilatione; si nimirum mente concipiamus produci aliquid ex nihilo, & consummata hac productione, nullam tamen deinde sequi conservationem; tum certe creatum illud illico in pristinum rueret nihil, & sola tantummodo creatio annihilationi esset contradistingvenda. Potestque adeo creatio semper & absque conservatione opponi annihilationi, quod vero vice versa de conservatione non valet.

APHOR. V.

NEquè negari potest convenientiam actus hōsce, de quibus jam agimus, Divinos intercedere haud minimam. Finis enim proximus, quem per easdem has actiones intenderat Summus Rerum Opifex, in creatione erat existentia mundi vel rerum creatarum, qui isidem in conservatione finis obtinet. Sive, ut hoc modo mentem nostram exprimamus: quid voluit Deus per actus hōsce utrosque? nonne per creationem, ut mundus existeret; & per conservationem etiam, ut existeret & existat? Quumque creatio sit actio, qua Deus substantiis dedit existentiam; conservatio, qua eandem dare eis continuat, utpote quæ propria vi existere non possunt, in propatulo est hoc intuitu ejusdem esse speciei actionem conservationis cum creatione; quamobrem & communia habent prædicata, quorum seriem exhibet Rever. Doct. RIBOVIVS *in Instit. Theolog. Dogmat. Sect. 1. Cap. VII.* ad quem Lectorem Benevolum, horum sciendi cupidum ablegamus.

APHOR. VI.

Postis definitionibus creationis & conservationis, a nobis in præcedentibus traditis, quas quidem nemo facile

cile improbabit; perspicuum est, dum nude & simpliciter ad illas attendimus, conservationem per continuatam creationem nunquam posse explicari. Quomocunque enim ratiocinia adornentur, nonnisi negativa tamen ad quaestionem, circa quam impraesentiarum versamur, obtinebit responsio. Quod si igitur creatio est productio ex nihilo, & conservatio est creationis continuatio, etiam productionis ex nihilo continuatio erit conservatio; hoc vero esse non potest, quoniam in ea jam praesupponitur existentia; ergo nec continuata creatio. Fac, porro, creationem absolvi voluntatis Divinae actu, quo mere possibilibus confertur existentia, tum si quaesitum obtineatur, conservatio esse debet continuatio hujus actus; cujusnam vero dicis? actus nimirum, quo mere possibile datur existentia; in conservatione autem nullum habet locum mere possibile, sed adest jam complementum possibilitatis, nempe existentia; unde neque hac ratione ideam conservationis cum idea creationis coincidere apparet. Haec tamen non obstare, quo minus conservatio continuata creatio dici queat, contendimus.

APHOR. VII.

PAtet ex dictis quaestionem, de qua nobis sermo est, non solvi posse, simpliciter & absque certo quodam respectu, vel affirmative, vel negative ad illam respondendo; verum, quemadmodum differentia inter actiones saepius nominatas sese prodit, dum solas spectaverimus creaturas, & convenire iidem illas percipimus, dum ad ipsum solummodo Deum respexerimus; ita in priori casu, sive dum res tantum creatas consideramus, ad quaestionem nostram recte negatur; in posteriori vero, sive dum ad solum Deum attendimus, affirmativa haud incommode obtinet responsio.

APH. VIII.

APHOR. VIII.

AD excitandam penes nos conservationis per continuatam creationem concipiendæ ideam convenientem nihil non faciunt ea, quæ affert Eruditissimus BULFINGERUS in *Dilucid. Sect. IV. Cap. IV. p. 565. 567.*

Simulacrum & instar aliquod creationis allegatur ex imaginatione. Si quis sibi res alias præsentis imaginatur, ita tamen ut non promiscue faciat ex quolibet quodlibet, sed illas ordine sibi succedentes concipiat, & plane ita, ut in priori phantasmate (objective spectato) sufficiens ratio sit posterioris & sic porro: dici potest produxisse (idealiter) res quæ non fuerint prius, & ex vi animæ conservare illas sibi præsentis, quamdiu placet. Hic instar aliquod creationis & conservationis in eo ponitur, quod idæ illæ sint nunc animo præsentis ex vi animæ productiva, quæ non fuerant antea præsentis, quodque ex eadem vi constanter agente sint tamdiu præsentis, ac operatio illa animæ perdurat. - - - - - Maneamus in simili, quod a Christ. Wolffio adduximus. Præsentia phantasmatis in imaginatione non solum prima sed & continua pendet ita ab operatione mentis, ut cessante ea, redeat in nihilum suum id phantasma; durante ea, duret illa in animo præsentia sive existentia idealis. Similiter puto de existentia reali, quam sua Deus operatione creativa præstat, quamdiu illa durat, durat etiam existentia rerum conditarum: quam primum illa cessat, cessat hæc quoque.

APHOR. IX.

QUOD igitur attinet objectiones contra affirmativam sententiam formatas, eas tanti non esse roboris, ut dissolvi nequeant, intelliget in earundem vim & nexum

vel

vel aliquantulum inquirens. Licet easdem binas legere in Celeb. *BUDDEI Theol. Dogm. p. 410.* quarum prior ibidem his continetur verbis: *Deum ab opere creationis cessasse Gen. Cap. 11: v. 2. dicitur; at nunquam cessaret, si creationem continuando mundum conservaret.* Qui tamen Scripturæ locus, quum plus non innuat, quam quod desit Deus a novo aliquo ulterius producendo, respectuque ad mundum habito in dicto sacro verba fieri videamus; haudquaquam ideam continuatæ creationis a conservatione excludere censendus est. Posterius argumentum sequentia exhibent: *Si conservatio est creatio quadam, sequetur, Deum singulis momentis, non tantum ipsam rerum essentiam, sed omnem motum omniaque adeo libere agentium dicta, facta atque cogitata producere, adeoque quidquid mali ab hominibus dicitur aut peragitur, id ipsum Deum facere. Quod quidem vel cogitare nefas fuerit.* Hæc vero a conservatione, ut creatio quædam considerata, per legitimam non fluunt consequentiam. Etenim in omnente limitato obveniunt τ reale & limitatio, quæ a se invicem sunt distinguenda. Limitationem $\tau\omega$ reali entis nexu indivulso adhærere, propter hoc, quod limitatum esse dicitur, per se patet. Hinc quoniam in creaturis limitatio $\tau\omega$ reali continuo adhæret; existente & salvo reali, existit & salva etiam manet limitatio. Unde manifestum est, ut, dum a Deo in esse suo conservatur τ reale creaturarum, earundem limitationes simul salvæ maneant. Adeoque in limitationibus, influxu quippe aliquo conservatorio non egentibus, neutiquam versatur Divina conservatio. Quæ eadem etiam creationis est ratio. Malum igitur morale, de quo in objectionem modo adducta sermo est, quum ex ommissa debita intellectus adplicatione, in bonitate vel pravitate actionis inquirenda, oriatur; hæc vero ortum ducat ex limitationibus (quas vocat Celeb. CARPOVIUS accidentales) patet nullam plane mali hujus causam in Deum posse cadere,

dere, etiamſi conſervatio continuata creatio dicatur. *Vide*
CARPOVII Theol. Rev. Dogm. Tom. II. p. 1306.

APHOR. X.

Definiri tamen non poteſt conſervatio per continuatam creationem. Datur enim alia etiam continuatæ creationis notio, & quidem magis propria, quam ea, quæ ideam conſervationis ingreditur. Illam vero nobis formamus, dum per aliquod temporis ſpatium novi quid nexu non interrupto ex nihilo produci ponimus. Quamobrem ſi modo dicto definiatur conſervatio, latior omnino ſuo definito erit ipſa hæc definitio.

APHOR. XI.

EO minus adſerere licebit cum EICHFELDIO conſervationem nihil eſſe aliud quam *iteratam* per ſingula momenta creationem; quod quidem non tam illuſtrare rem, ac eandem obſcuram reddere autumamus. Involvere enim videtur ꝓ iterare de re aliqua pronunciatum, ceſſationem quandam, quæ actionem de novo ſuſcipiendam antecedere debet; adeoque ubi quid crebro iteratur, ceſſatio & actio alternatim aderunt. Conſervatio vero, de qua loquimur, quum ſit continua, nullum in ea locum habet

B

ceſſatio,

cessatio: Hinc iterationem per singula momenta, h. e. prouti hæc considerantur in conservazione continuo videlicet durante, contradictionem in adjecto esse apparet. Et si hæc EICHFELDIi obtineat conservacionis explicatio, nulla certe continuationem inter & iterationem dabitur differentia,

